



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Disputationes Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Quibus Univerſa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalæ, 1644**

Sect. 4. An intellectus Angeli in agentem, & passibilem distingendus sit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

ex D. Thoma 2. contra Gent. cap. 94. rat. vlt. Alexi, Bonavent. Argidio Roman. & aliis communiter, Angelicum intellectum & humanum differre specie propter diuersum operandi modum: quia scilicet intellectus Angelicus immaterialis, purus, simplicius, & perfectius intelligit. At etiam Angeli, quod sunt natura perfectiores, eo simplicius, vniuersalibus, perfectiusque intelligunt. Ergo &c.

29. Sensus animalium specie diuersorum differunt specie.

Objicies primo: sensus animalium specie diuersorum non differunt specie. Ergo neque intellectus Angelorum specie diuersorum. Respondeo cum sensus animalium sint compositum ex organo, & ex anima cuiusque, per quam maxime specie differunt, fieri nequit, vt sensus animalium specie differentium non sint specie diuersi. Anima enim in hanc compositionem ingreditur non tantum secundum rationem quandam genericam, sed etiam secundum specificam & propriam: cum etiam secundum illam sit viuens vta sensitiva, seu principium formale sentiendi.

30.

Objicies secundo, potentias non distinguuntur specie nisi per ordinem ad diuersa obiecta adaequata. At intellectus Angelorum non habent diuersa, sed idem, nempe quicquid est intelligibile, sine ens, siue non ens verum aut falsum, creatum aut increatum, naturale vel supernaturale, possibile vel impossibile, positium aut negatum: quae omnia, confuse saltem, a quolibet attingi possunt.

Non idem omnino est obiectum cuiuscunque intellectus.

Respondeo primo, non omnia praedicta distincte, & in specie, vel in individuo, a quolibet intellectus Angelorum attingi: imo a nullo. Solum enim intellectus diuinus comprehendit, seu adaequatissime attingit Deum & alia omnia intelligibilia, quantum & quatenus intelligibilia in intellectu vero creati, quod alij aliis perfectiores sunt, plura speciatim & singulariter de Deo, & de possibilibus vel existentibus extra Deum, possunt cognoscere naturaliter. Vnde ex hac parte sumi potest diuersitas obiectorum adaequatorum, quae in Angelis perfectioribus latius patent, saltem quoad suppositionem, quam vocant personalem, vel absolutam. Est enim, confuse omnes attingant omnia secundum aliquas rationes generales intelligibiles, enuntiabiles, & similes, sub quibus magis latent, quam cognoscantur, peculiare cuiusque rationes: ut non securum speciales & individuales differetias cognoscibilem, quae plures a perfectioribus intelligendis cognosci possunt.

31. Sicut

Respondeo secundo cum Suarez lib. 2. c. 2. num. 32. non esse necessarium omnem specificam diuersitatem potentiarum, actuum, vel habituum, sumi ex obiecto adaequato. Possunt enim circa idem obiectum esse diuersi actus, habitus, & potentiae, essentialiter seiphs diuersi. Vnum quodque enim est seipso formaliter, id quod est. Sic intellectio, imaginatio, & visio albedinis, sic

cie differunt, quamuis circa idem obiectum, & secundum eandem rationem obiectiuam: & multo magis intellectio Dei, & Angeli, vel hominis, praecise circa idem. Ac licet, vt Suar. addit num. 24. in obiecto eodem materialiter distinguantur interdum diuersae rationes formales, & proportionales cum potentiis cognoscentibus: ad distinguendas tamen potentias, vel actus, illa distinctio non est simpliciter necessaria. Cum illa ipsa ratio formalis obiectiua, quae ad intellectum inferiori attingit, possit attingi a superiori. Quomodo illud ipsum formaliter quod oculis videtur, a sensu interno & ad intellectum percipitur. Et quicquid nos attingimus in obiectis sensibilibus, attingitur ab Angelis & a Deo. Neque est vlla ratio attingendi obiectiua, vel proportio cum vlla potentia, quam Deus non attingat actu diuerso essentialiter ab actibus creaturarum.

SECTIO IV.

An intellectus Angeli in agentem et possibilem distinguendus sit?

Negat D. Thom. q. 54. art. 4. primo modo, quia intellectus possibilis idem ponitur in nobis, quod quandoque sumus intelligentes in potentia, & non in actu. At Angeli versantur semper in actu intelligendi, nec vnquam sunt in pura potentia respectu eorum quae naturaliter intelligunt. Secundo, quia natura rerum materialium, quas nos intelligimus, non subsistunt extra animam immateriales, & intelligibiles in actu, sed sunt dumtaxat intelligibiles in potentia, prout existunt extra animam. Ideoque oportuit aliquam esse virtutem, quae faceret illas intelligibiles actu. Eadem virtus est intellectus agens. At intelligibilia Angelorum, non sunt intelligibilia in potentia, sed in actu. Intelligunt enim primo & principaliter res immateriales. Ideoque non potest in illis esse intellectus agens & possibilis, nisi aequiuoce. Hucusque D. Thom. qui art. 5. addit praeter potentiam & cognitionem intellectuam, non esse in Angelis aliam potentiam cognoscitiuam, sensitiuam, vt in hominibus & brutis. Haec enim materialis & organica est. Angeli autem sunt pure spirituales. Quae posterior assertio facilis est. Circa priorem dux occurrunt difficultates. Prima, num sit vere in Angelis intellectus agens, & intellectus possibilis? Secunda, vtrum ea, quae nos intelligimus, non sint actu intelligibilia, adeoque sit nobis necessarius intellectus agens, qui ea reddat actu intelligibilia?

32. Sententia D. Thomae

Dico primo, in quolibet Angelo vnicum esse intellectum realiter, ratione quidem multiplicem, & aliquatenus agentem & possibilem: sed non stricte & proprie, vt haec

33. In quolibet Angelo vnicus est intellectus

voces à Philosophis vsurpantur. Prima pars liquet ex sect. 1. Intellectus enim Angeli realiter est ipsamet eius substantia, quæ vnica est, realiter simplex & indiuisibilis. Ergo vnicus realiter intellectus. Neque enim locum hinc habet identitas in adæquata vnus rei cum pluribus realiter distinctis ad inuicem; quæ mysterii Trinitatis singulariter & inimitabiliter propria est.

Secunda pars assertionis clara est. Nam intellectus Angelicus est virtualiter multiplex, quatenus valet purè apprehendendum, vt sensus; & vterius ad iudicandum, vt mens humana & ad discurrendum virtuali aut formali discursu. Item alia virtualiter est eius ratio, prout valet ad intelligenda obiecta materialia, & sensibilia, æquiuocando sensibus; alia prout ad immaterialia, purèque intelligibilia, supereminendo sensuum facultati, atque etiam menti humanæ, quatenus valet naturaliter ad illa directè gerere, & intuitiue cognoscenda. Præterea idem intellectus valet ad aliquid agendum, & ad præiudicandum seu recipiendum: nempe actus, aut species, aut habitus intellectuales; quo pacto est aliquo sensu agens, & patiens, aut possibilis, vt in tertia parte assertionis addidimus. Pro cuius declaratione

34. Intellectus agens & possibilis quid sint, an sint in Angelis?

Nota duobus modis intellectum agentem dici posse. Primò latè, prout est facultas quomodoocunque actiua, siue proprium actuum, siue specierum vel habituum intellectuum. Et hoc sensu nemo Theologorum negat esse in Angelis intellectum agentem. Secundo strictè, prout est facultas solidam & immediatè productiua specierum intelligibilium in intellectu possibili carente illis. Siue abstrahendo species illas à phantasmate: siue eudendo aliter. Et hoc sensu negant merito D. Thomas & alij communiter, Scotus & paucis exceptis, esse in Angelis intellectum agentem. Quia species, si quas habent, vel habent ab extrinseco, vel ex actibus propriis relictas. Ideoque non egent intellectu agente, à quo eudantur immediatè, multoque minus vt abstrahantur à phantasmate, cum in Angelis non sint phantasmata, neque subordnatio ad sensus internos aut externos.

35. Similiter intellectus possibilis dupliciter accipitur. Primò latè, pro facultate quomodoocunque passiuæ & receptiuæ, vel existentæ in potentia ad patiendum & recipiendum. Neque intellectus Angelorum est possibilis, quatenus est in potentia ad actus proprios, & species, & habitus intellectuales, qui ex ipso elucuntur, & in eodem recipiuntur. Atque eo sensu D. Thom. lib. 2. contra gentes, cap. 96. & D. Bonauent. in 2. dist. 3. intellectum Angelorum possibilem vocant. Secundo strictè, prout sumitur ab Aristotele 3. de anima cap. 4. pro facultate quæ in prius quida potentia in genere intelligibilium, posteaque fiat omnia intelligibilia per susceptionem specie-

D. Thom. Bonauent. lib. 2. contra gentes, cap. 96. & D. Bonauent. in 2. dist. 3. intellectum Angelorum possibilem vocant. Secundo strictè, prout sumitur ab Aristotele 3. de anima cap. 4. pro facultate quæ in prius quida potentia in genere intelligibilium, posteaque fiat omnia intelligibilia per susceptionem specie-

rum, vel per exercitium actuum intelligendi. Et hoc sensu D. Thom. alijque Theologi communiter negant intellectum Angelorum esse possibilem. Quia nunquam sunt, neque est, aut esset, in pura potentia destituta omni specie, & omni actu intelligendi. Vel enim species accepit primo instanti suæ creationis ingenitas: vel sine speciebus, se ipsam & alia existentia sufficienter presentia tunc intellexit, & deinceps intelligit; neque vquam potuit, aut potest deinceps omni actu cognitionis carere. Aut enim naturaliter, seu necessariò careret, aut libere. Non primum, quia nulla est causa naturalis seu necessaria, quæ Angelum priuare possit, aut impedire ab omni cognitione: cum nulla ei vel potentia intelligendi, vel species, vel obiecta omnia possit subtrahere, saltem se ipsum, & si quæ alia sunt ipsi intrinseca naturaliter inseparabilia. Non etiam secundum, quia vt Angelus libere absterneat, debet cogitare. Quando enim est & vigeat volitio, essentialiter supponit cognitionem. Libertas autè non est sine volitione aliqua. Nam Omne liberum est voluntarium; & libertas in actu secundo est exercitium & vsus liberæ voluntatis. Quare intellectus Angelicus nunquam est, aut esse potest naturaliter in pura potentia. Quæ de re susius dicemus infra disp. 40. sect. 1.

Dico secundò ea, quæ à nobis intelliguntur, sunt per se actu intelligibilia, quantum est ex parte ipsorum, & æquè respectu nostri, ac respectu Dei & Angelorum. Neque ad ipsa constituenda respectu nostri actu intelligibilia, necessarius nobis est intellectus agens, qualem plerique Philosophorum imaginantur.

Prima pars probatur: quia vnumquodque, ratione sui esse, cognoscibile est & intelligibile actu, supposita aliunde potentia intelligendi. Idque tam verum est de materialibus, quàm de immaterialibus. Vtraque enim, pro ratione & mensura sui esse, sunt vera, & bona, tum absolute, tum respectiue in ordine ad intellectum & voluntatem. Et quidem materialia per se primò & immediatè intelliguntur à Deo, & ab Angelis, etiam quæ singularia & materialia sunt. Vt de Deo ostendimus tract. 1. disp. 9. de Angelis verò patebit ex dicendis disp. 38. & 39.

Deus cum suare lib. 2. cap. 4. num. 8. non quidem materiales esse per se & immediatè actu intelligibiles in ratione obiecti, quatenus per se & immediatè sunt apte intelligi, atque etiam intuitiue cognosci, si existant: sed non esse intelligibiles per se immediatè in ratione principij. Quia gradus intellectiuius immaterialis est: & res materiales ex modo suæ entitatis per se non sunt aptæ, vt sint immediata principia intellectionis. Possunt tamen fieri aptæ medijs speciebus intelligibilibus. Et idè secundum se sunt intelligibiles in potentia. Prout verò speciebus representantur, di-

Angelus nunquam est sine cognitione aliqua.

36. Quæ nobis sunt intelligibilia, sunt per se actu intelligibilia.

37.

Sunt quidem materiales esse per se & immediatè actu intelligibiles in ratione obiecti, quatenus per se & immediatè sunt apte intelligi, atque etiam intuitiue cognosci, si existant: sed non esse intelligibiles per se immediatè in ratione principij. Quia gradus intellectiuius immaterialis est: & res materiales ex modo suæ entitatis per se non sunt aptæ, vt sint immediata principia intellectionis. Possunt tamen fieri aptæ medijs speciebus intelligibilibus. Et idè secundum se sunt intelligibiles in potentia. Prout verò speciebus representantur, di-

cuntur intelligibiles in actu: quia iam sunt in actu primo sufficientia intelligendi principia in ordine suo.

38. Respondet si loquatur Suares de principio determinatio duntaxat tam per se determinat potentiam, alioqui sufficientem ad intelligendum, obiecta materialia, quam immaterialia, vt ex sequenti disp. constabit. Sin autem loquitur de principio efficiencia: probabilius esse intellectum, aequè, ac voluntatem, esse principium sufficiens ad suos actus producendos: quamuis ille egeat determinatione: hæc verò, propositione obiecti. Quare obiecta materialia non sunt minus de se intelligibilia, quam immaterialia, tam in ratione principij, quam in ratione obiecti.

39. Secunda pars conclusionis probatur, quia intellectus ille agens, siue idem, siue realiter distinctus, species abstrahens a phantasmate, & constituens nobis obiecta in actu primo intelligibilia, plane superfluum est. Etenim obiecta sunt de se actu intelligibilia. Ex parte verò nostra, intellectus sufficienter iuuatur & determinatur a sensu interna, quæ maiori facilitate & compendio dici potest determinare immediate ad speciem expressam, sicut dicitur determinare ad impressam: vnde vtraque species sit aequè spiritalis, & similitudo intencionalis obiecti: neque ad aliud esse necessaria ostendatur species impressa, quam ad determinandum & excitandum intellectum. Adde quòd intellectus agens, si tantum cudat species, & nullò modo intelligit; valde improprie dicitur intellectus, seu potentia intellectiua. Nam posse eundem species intelligibiles, non magis est posse intelligere, quam posse eundem species sensibiles, sit posse sentire. At hoc secundum non est posse sentire, conuenitque albedini, calori, & obiectis similibus, sentiendi incapibus.

40. Neque minus superfluum est, quod tribuitur Alberto in Sum. p. 2. tract. 4. q. 14. memb. 3. art. 1. ad 1. intellectum agentem valere ad illuminanda phantasmata materialia; in eumque usum Angelis vtilem esse posse. Nam præter ipsam cognitionem Angelicam, nostram, non est alia necessaria illuminatio specierum, vel obiecti; neque alterius illuminationis terminus, vel effectus, aut modus assignari & explicari potest. Præterque ipsam potentiam intelligentem, & obiectum per se determinans, vel per speciem, aut aliud æquiualeus, nihil apparet necessarium ad exprimendam obiecti cognitionem. Multiplicatio verò tot actionum, alioqui non necessariarum, vt per se importuna, & naturæ puritati, ac simplicitati aduersa, rejicienda est.

41. Concludo itaque intellectum agentem non magis in humana mente, quam in Angelis, distinguendum esse à possibili: sed nostram mentem accepta impressione rerum per sensus, qui sunt in composito ex corpore & ex anima quæ est mens, posse adiumento

eius quod in parte sensitua est, percipere primum singularia sensibilia, & deinde progredi ad alios conceptus & ad alias actiones. Singularia enim sensibilia sunt etiam intelligibilia per se; & virtus intelligendi est communis ad percipienda sensibilia & aia: sicut vis imaginandi est communis ad percipienda non tantum visibilia, sed etiam alia sensibilia, quæ videri nequeunt. Ac quemadmodum Deus singularia sensibilia cognoscit & videt secundum seipsa, & secundum esse quod habent extra Deum, non autem solummodo secundum esse quod habent in Deo: ita noster intellectus potest suo modo percipere sensibilia immediate & secundum se. Neque opus est vt prius fiant intelligibilia: sunt enim per se intelligibilia, sicut & omniens: non minus quam omnium sensuum externorum obiecta, sunt imaginabilia, licet non omnia sint visibilia vel tangibilia.

42. Confirmatur, quia si passiones & dispositiones partis nostræ sensitivæ ira perueniunt sua vi vsque ad mentem, vnde eam frequenter impediunt, quod experientia docet: cur imagines rerum vel cognitiones, quæ sunt in parte sensitua, non poterunt iuuare mentem, vt res exteriores suo modo percipiat, & de eis iudicet: quandoquidem eadem substantia quæ est mens, est etiam anima sensitua, constituens subiectum & principium sensituum? Illo autem fundamento posito, frustra accersitur intellectus agens, qui faciat species intelligibiles, quæ huiusmodi obiecta singularia sensibilia reddat intelligibilia, abstrahendo eorum species à phantasmaticis: vel etiam iuuat intellectum possibilem, ad cognoscendas conuenientias & differentias huiusmodi obiectorum, & naturas vniuersales ab illis abstrahendas. Nam intellectus, in quo est vis ad cognoscendum, post percipere res singulares, satis manet in forma ad cognoscendas illarum conuenientias & differentias, & ad formandos conceptus vniuersales eorum prædicatorum in quibus conueniunt, & particularium eorum in quibus differunt. Atque etiam ad cognoscendum aliquo modo ex rebus sensibilibus res quædam alias superiores, quæ ex sensibilibus cognosci queunt: & denique ad ea omnia, quæ naturali cognitione assequi possunt.

Præterea nemo est qui illuminationem illam percipiat, aut qui sciens distinguat phantasma illuminatum à phantasmate non illuminato. Etque per se omnino incredibile quòd sit in nobis aliqua vis spiritalis reperiens cognitionem, quæ rerum sensibus expositarum species intellectuales possit producere cæca quadam actione. Si verò eadem vis est æquum ad cognoscendum, non apparet inefficax, vt præsentis phantasmate cognoscat, quam vt præsentis phantasmate producat spiritalem quandam sibi impressam imaginem, qua iuuante cognoscat. At si ponitur talis intellectus qu-

No est in nobis intellectus agens distinctus à possibili.

40. Albert.

41.

Idem autem præbetur.

multis in aliis locis.

Idem autem præbetur.

præsente phantasmate possit intellectualem speciem cuius rei, cuius phantasma adfit, producere: quare non potius ponitur intellectus simplex, qui præsente phantasmate possit rem, cuius phantasma adfit, percipere? Nam talis intellectus valens ad cognoscendum non difficile concipitur. At intellectus cæcus & impotens ad cognoscendum, nescio qui possit intelligi. Cùmque omne ens sit de se intelligibile, ut paulò ante ostendimus: non debet esse mirum, aut videri difficile, si præsente phantasmate percipiat intellectus, id cuius phantasma illi adest, &

circa quod sensus internus operatur.

In eo quod dictum est non debere potius non modò in Angelo, sed neque etiam in homine, intellectum agentem distinctum à cognoscente, sentiunt nobiscum Durandus in 1. dist. 3. part. 2. q. 5. Buridus ad 3. de anima q. 7. Scaliger exercit. 307. n. 18. & ante eos alij plures teste Alberto in summa de homine c. de intellectu agente. Et aunc communis sententia Philosophorum est non distingui in intellectu agentem à passibili, ut testatur Ovidius controuers. 5. de anima, punct. 1. n. 2.

## DISPUTATIO TRIGESIMA OCTAVA

### De medio cognitionis Angelicæ.

- Sec. I. *Vtrum Angeli egeant speciebus impressis ad intelligendum?*
- Sec. II. *Respondetur argumentis contrarie sententiæ.*
- Sec. III. *An Angeli speciebus indigeant, et seipsos intelligant, vel alia sibi intrinseca, aut sufficienter præsentiæ?*
- Sec. IV. *Resutantur sententiæ contrariæ.*
- Sec. V. *Vnde nam Angelis species intelligibiles?*
- Sec. VI. *Quales sint species intelligibiles Angelorum, et ad quid valeant?*

Medium cognitionis duplex: cognitum & incognitum.



EDIVM cognitionis duplex est: cognitum, & incognitum. Primum est id, ex cuius cognitione in alterius cognitionem ducimur. Ut quando ex antecedente consequens, ex effectu causam, ex imagine prototypum, ex signo rem significatam cognoscimus. Secundum est, id, quod licet incognitum, iuuat & determinat potentiam, vice obiecti, ad ipsius cognitionem, velut semen illius. Cuiusmodi sunt species impressæ intellectuales aut sensuales, quæ intellectum aut sensum determinant, & adiuuant ad formandam vitalem expressionem obiecti.

Angeli multa cognoscunt per medium cognitionis.

De priori, certum est Angelos multa cognoscere per aliud: ut Deum, ex seipsis & ex aliis creaturis; causas ex effectis: cogitationes cordium, ex locutione & aliis signis. Modus enim ille cognoscendi vnum per aliud cognitum, neque omniam perfectionem negari debet Angelo, siquidem conuenit hominibus ipso inferioribus. Neque omniam imperfectionem: id enim potius magnæ perfectionis est, & Deo ipsi conuenit, qui omnia cognoscit omni modo, quo sunt cognoscibilia, per se & per aliud, immediatè & mediatè: ut ostendimus tract. 1. disp. 15.